



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Qvare Necessse Est Missam Papistarum taxari?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

III. Quarta appellatio *ιψαγια*, est gratiarum actio, quia verissimum est, filiū Dei in illa cœna primū velle sūe accipi beneficia sua. Unde & gratias agi pro tota redemptione, & collectione Ecclesie.

Quinta appellatio est *ἀγάπη*, sive quia olim simul afferebantur cœnam Domini paces & alia res distribuendæ pauperibus: siue ratio iudicabant esse fœdus mutue dilectionis. Quod etsi verum est, tamen aliud est prior & principalis finis, scilicet, testimonium seu pius esse voluntatis Dei erga nos.

ROMANI vsi sunt nomine Missæ, nec scitur, an id nomen ab Hebræis sūmptum sit, an vero latinam originem habeat. In Deuteronomio cap. 16. legitur vocabulum Missæ pro contributione, quia in ferijs, ut iam dixi, multa afferebantur distribuenda pauperibus.

ALII dicunt Latinum esse Missam pro remissione peccatorū, sicut & Cyprianus vsitit vocabulo Remissa pro Remissione, quia ibi annuntiatur remissio peccatorum omnibus conuersis, qui ad cœnam Domini admissi sunt. Fuerunt igitur tanquam verba absolutionis: *λαοίς ἀφεσις ἰσθ*, populis sit remissio, id est, sit vobis remissio, qui accessistis ad communionem. Quod Latini imitari sunt: Ite Missa est, id est, remissio peccatorum vobis vtro annuntiata est. In his vocabulis publice vsitatis nullum est, quod oblationem aut sacrificium proprie significet.

QVARE NECESSE EST MISSAM  
Papistarum taxari?

QVIA omnis idololatria est taxanda, fugienda & abolenda. Idololatrium est autem, quod dicunt Papistæ, Sacrificulos sua oblatione & missa mereri remissionem peccatorum facienti & alijs. Et quidem cumulant errores, cum addunt, eam oblationem mereri ex opere operato, ut ipsi loquuntur. Quæ opinio palam Ethnica est, Necessè est igitur Papisticam Missam taxari, vitari & aboleri.

MINOR probatur, Quia ad Hebræos expresse scriptum est: Vniuerso sacrificio consummauit sanctos. Præterea nullum opus externum in nouo Testamento placet, ut illi loquuntur, ex opere operato, Quia scriptū est: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Alia ratio.

TENENDA est regula: Nihil habet rationem Sacramenti extra vsu qui institutus est à Deo. Oblatio non instituta est in verbis Euangelij, sed sumtio. Igitur non est facienda oblatio.

CONTRA.

Vniuersalis Ecclesia non errat,

Græca & Latina Ecclesia faciunt mentionem oblationis,

Ergo est aliqua oblatio.

RESPONDEO. Vetus Ecclesia Græca loquitur de oblatione gratis.